



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis**

**Dietrich <von Engelsheim>**

**Münster, [1893-1897]**

4. De contractu matrimonii dicti Wilhelmi cum comitis de Tekeneburg filia,  
eius morte et successoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

Prosperis et fortuitis hinc inde dominis predictis, 4.  
Theoderico et Wilhelmo, cum maximis dampnis et expensis  
accedentibus et tandem lassatis, strenui Conradus Stal  
et Didericus Merx pro pace ordinanda inter eosdem  
taliter eorum dissenciones habitas complanarunt, sic  
quod reverendissimus dominus archiepiscopus filiam  
sororis sue, nobilis comitis Nicolai de Tekeneburg,  
Alheidin cum XXII milibus florenorum Renencium sibi  
matrimonio copulavit, ut sic a iure utriusque tam Colo-  
niensis quam Paderbornensis quesito resiliendo.<sup>1)</sup>

O quale conubium, dare ecclesiam pro uxore!  
Cum autem sic Altissimo placuit, ita factum est; et  
mutato nomine episcopi factus fuit comes. Et cum  
uxore tali, cum speciosa valde erat et decora, in comi-  
tatu Ravensbergensi annis plurimis habitavit in caritate  
non ficta, mutua dilectione et bona et profecta com-  
placita voluntate, semper usque ad finem vite ecclesiam  
Paderbornensem diligens sine recordacione gestorum  
preteritorum, tenendo statum Illustrium amplius, quam  
dictus suus comitatus sufferre bene potuit. Tandem  
morbus quidam cronicus, luridus ipsum annis plurimis  
invasit et consumpsit, sic quod sub annis dominice  
incarnacionis M<sup>o</sup>CCCCXXVIII in festo Cecilie decessit, 1428  
derelinquens illustrem Gerhardum, filium suum unigen-<sup>20/1</sup>  
nitum, heredem universorum, pro tunc quinque vel circa  
annorum. Illustris Adolffus, dux Julie et Montensis,  
suus patruus et tutor hereditarius, ipsum cum comitatu  
pretacto ad suam tuicionem suscepit, eum secum ad  
partes Reni duxit, ibidem ipsum satis rigore regens et  
educens. (sic!) Tandem predictus illustris dominus Adol-  
ffus, vir strenuus, industrius, alios plures sibi similes et  
majores operibus, expensis et operositate excellens, sub

<sup>1)</sup> Der Autor wendet hier das Gerundio statt des tempus finitum  
„resiliret“ an.

1437 annis domini M<sup>o</sup>CCCCXXXVII die decimo quarto mensis  
<sup>14/7</sup> Julii morte preventus, [reliquit]<sup>1)</sup> prefatum illustrem  
 Gerhardum, suum patrum heredem proximiorum ad  
 ducatus Julie, Montensis et comitatum Ravensbergensem  
 una cum iure ad ducatum Gelerensem et comitatum  
 Sutphanie ab imperatoribus Romanis ratione infeuda-  
 tionis de eisdem gracie concessio, obtento et impetrato.  
 Quo nobilis Arnoldus, natus de Egemunt, ipsum minus  
 iuste tamquam imperio rebellis spoliaverat, indebite  
 dictum ducatum et comitatum occupando. Illustris tunc  
 Gerhardus, in eisdem ducatibus Julie, Montensis et comi-  
 tatu successor, possessionem eorum adeptus, a suis sub-  
 ditis iuramento fidelitatis recepto, regere incepit flore  
 iuventutis, paucis recepto incremento, sed potius detri-  
 mento, sic quod prenominatus Arnoldus, nobilis de  
 Egemunt, se gerens pro duce Gelrie, manu armata ad ip-  
 sum in ducatum Julie bene cum mille quingentis armi-  
 geris intravit, eo sibi in occursum veniente, sic quod  
 opera bellica ferociter exercuerunt. Ubi dictus domi-  
 nus Gerhardus per optime se habuit, campum et vic-  
 toriam obtinendo, pro tunc captivans et captivos secum  
 ducens nobiles de Egemunt, fratrem dicti domini Renolfi,  
 dominum de Viant, Johannem de Brochusen, multum po-  
 tentem et notabilem cum aliis multis militibus, milita-  
 ribus potentibus et divitiis peditis, prout exactionati ad  
 centum et quinquaginta milia florenorum optime valuerunt.  
 Velit Deus, ut in utilitatem bonam lucrum convertatur,  
 et ut effectus prosperi omnes in futurum sibi arrideant,  
 et eosdem consequatur, ut de eodem ratione parentum  
 matrimoniali mirabili copulatione in antea erat presagiis  
 memoratum et relatum. Inde contingencia scire, existimo  
 humanum non fore, sed divine ordinationi esse relin-  
 quendum.

<sup>1)</sup> Fehlt im Original; ist des Verständnisses wegen eingeschaltet.